

Ibid. pag.
321.

se persistere liquido professus est. Quo ipso anno ad Electorem Saxonie scripsit, In Sacramentarijs nihil esse præter meram præsumptionem ac proterviam, & rationis acumen atque imaginationes, quæ coram Deo consistere nequeant. Per omnem igitur vitam, nolle se cum Zuinglianis consentire, ut quos falsa docere ac scribere, satis cognitum perspectumq; habeat.

80. Constabit opinor ex his documentis, Philippum & ante & post Confessionem exhibitam, integro ad minimum septennio à partibus Sacramentariorum minime stetisse.

81. Quòd verò postmodum à Lutherana Confessione turpi facto divortio ad Calvinianorum castra paulatim magis magisque propendere voluit: id quod partim sua in Narratione historica, de gener ipsius gener Peucerus multis argumentis comprobat: partim (proh dolor) alia etiam scriptura luculenter demonstrant: id profectò veram ac genuinam Confessionis sententiam ne tantillum quidem inflectere ac immutare potest: quippe de qua ex Confessione Philippi, quam postremis annis tenuit, iudicium fieri nec potest nec debet, Qua de re mox plura.

82. Quibus ita constitutis, planum iam evadit illud de quo variè quæsitum fuit: nempe tam non Sacramentarijs sub hac confessione nostra

stra